Barnabæ ITINERARIVM,

MIRTILI & FAVSTVLI

nominibus inſignitum:

Viatoris Solatio

Nuperrimè editum,

aptiſſimis numeris redactum,

Veterique Tono

BARNABÆ,

publicè decantatum.

Efficit egregios nobilis alla viros.

Harvard College Library
Peabody Fund
November 30, 1937.

Ad Viatorem.

Oppida dum peragras, peragrando poemata ſpectes,
Spectando titubes, *Barnabe* nomen habes.

Index Operis.

MVlciber, vua, Venus, *redolens* ampulla, Silenus,
Effigiem titulis explicuere ſuis.

SIc me *Pernaſſi* deſerta per ardua dulcis,
Raptat amor——

Itineris Borealis Pars I.

MIRTIL.

O Fauſtule *tende palmam*,
Accipe calicẽ vitib' almã;
Tune vinctus es dolore?
Vuæ tinctus ſis colore.
Sperne opes, ſperne dapes,
Merge curas, recte ſapis.

Itineris Borealis

O Fauſtule; *dic amico*
Quo in loco, quo in vico,
Siue campo, ſiue tecto,
Sine linteo, ſine lecto,
Propinaſti, queis tabernis,
An in terris, an Auernis?

O

Pars I.

FAVSTVL.

O Mirtile, *baculum fixi*
Mille locis vbi vixi,
In Piſtrinis, in Popinis,
In Coquinis, in Culinis,
Huc & illuc, iſtic, ibi,
Hauſi potus, plus quam cibi.

Itineris Borealis

In Progreſſu Boreali,
Vt proceßi ab Auſtrali,
Veni Banbery, *O prophanum!*
Vbi vidi Puritanum,
Felem facientem furem,
Quia Sabbatho ſtrauit murem.

Veni

Pars I.

Veni Brackley, *vbi natus*
Stirpe vili Magiſtratus,
Quem conſpexi reſidentem,
Stramine tectum contegentem,
Et me vocans, Malè agis,
" *Bibe minus, ede magis.*

Itineris Borealis

Veni Daintre *cum puella,*
Procerum celebre duello,
Ibi bibi in Caupona,
Nota muliere bona,
Cum qua vixi ſemper idem,
Donec creta *fregit fidem.*

Veni

Pars I.

Veni Leiſter *ad* campanam,
Vbi mentem læſi ſanam;
Prima nocte mille modis
Flagellarunt me Cuſtodes,
Pelle ſparſi ſunt liuores
Meos caſtigare mores.

Veni

Itineris Borealis

Veni Gottam, *vbi multos*
Si non omnes vidi ſtultos,
Nam ſcrutando reperi vnam
Salientem contra Lunam,
Alteram nitidam puellam
Offerentem porco ſellam.

Pars I.

Veni Nottingam, *tyrones*
Sherwoodenſes *ſunt latrones*,
Inſtar Robin Hood *&* *ſerui*
Scarlet, *&* Iohannis parui;
Paſsim, ſparſim peculantur,
Cellis, ſyluis deprædantur.

Veni

Itineris Borealis

Veni Mansfield, *vbi nôram*
Mulierculam decoram,
Cum qua nudum feci pactum,
Dedi ictum, egi actum,
Sed pregnantem timens illam,
Spreui villam & ancillam.

Veni

Pars I.

Veni Clowne, *vbi vellem*
Pro liquore dare pellem,
Ibi cerebro inani
Vidi coniugem Vulcani,
Quæ me Hoſpitem tractat bene
Donec reſtat nil crumenæ.

Veni

Itineris Borealis

Veni Rothram *vſque* Taurum,
Et reliqui ibi aurum,
Diu ſteti, ſed in pontem
Titubando fregi frontem,
Quo pudore pulſus, doctè
Clam putabam ire nocte.

Veni

Pars I.

Veni Doncaſter, *vbi ſitam*
Vidi leuem & Leuitam,
Quæ vieta & vetuſta,
Parum pulchra aut venuſta,
Cupit tamen penetrari,
Pingi, pungi, oſculari.

Veni

Itineris Borealis

Veni Aberford, *vbi notum*
Quod aciculis emunt potum,
Pauperes ſunt & indigentes,
Multum tamen ſitientes,
Parum habent, nec habentur
Vlla quæ non tenet venter.

Veni

Pars I.

Veni Wetherbe, *vbi viſam*
Clari Ducis meretricem,
Amplexurus, porta ſtrepit,
Et ſtrependo Dux *me cepit;*
Vt me cepit, aurem vellit,
Et præcipitem foris pellit.

Hinc diuerſo curſu, ſerò
Quod audiſſem de Pindero
Wakefeeldenſi, *gloria mundi,*
Vbi ſocij ſunt iucundi,
Mecum ſtatui peràgrare
Georgij *fuſtem viſitare.*

Veni

Pars I.

Veni Wakefeeld *peramœnum,*
Vbi quærens Georgium Grenum,
Non inueni, ſed in lignum
Fixum reperi Georgij *ſignum,*
Vbi allam bibi feram,
Donec Georgio *fortior eram.*

Itineris Borealis

Veni Bradford, *ceſſi foris*
In Familiam Amoris,
Amant iſtæ & amantur,
Creſcunt & multiplicantur,
Spiritus inſtructi armis,
Nocte colunt opera carnis.

 Veni

Pars I.

Veni Kighley, *ubi montes*
Minitantes, viui fontes,
Ardui colles, aridæ valles,
Læti tamen ſunt ſodales,
Feſtiuantes & iucundi,
Ac ſi Domini eſſent Mundi.

Itineris Borealis

Veni Giggleſwick ; *parum frugis*
Profert tellus clauſa iugis ;
Ibi vena prope viæ
Fluit, refluit, nocte, die,
Neque norunt unde vena,
An à ſale vel arena.

Veni

Pars I.

Veni Clapham, *vnus horum*
Qui acciuit voce forum,
Prima hora vt me viſit,
Mihi Halicem promiſit;
Halicem mihi, calicem ei,
Pignus in amoris mei.

Itineris Borealis

Veni Ingleton, *vbi degi*
Donec fabri caput fregi,
Quo peracto, in me ruunt
Mulieres, ſaxa pluunt,
Queis perculſus, timens lædi,
His poſteriora dedi.

Veni

Pars I.

Veni Loneſdale, *vbi cernam*
Aulam factam in Tabernam;
Nitidæ portæ, niuei muri,
Cyathi pleni, paucæ curæ;
Edunt, bibunt, ludunt, rident,
Cura dignum nihil vident.

Veni

Itineris Borealis

Veni Cowbrow, *vaccæ collem,*
Vbi hoſpitem tetigi mollem,
Pingui ventre, læto vultu,
Tremulo curſu, trepido cultu,
Vti bibula titubat vates,
Donec cecidit ſupra nates.

Veni

Pars I.

Veni Natland, *eò ventus,*
Eboraci *qui contemptus*
Colligit, hoſpitium dedit,
Mecum bibit, mecum edit,
Semipotus, ſicut vſi,
Circa Maypole, *plebe luſi.*

Veni

Itineris Borealis

Veni Kirkland, *veni* Kendall,
Omnia hauſi, vulgò Spendall,
Nocte, die, per amice
Bibi potum miſtum pice.
“ *Tege caput, tende manum,*
“ *Manu caput fit inſanum.*

His

Pars I.

His relictis, Staveley *vidi,*
Vbi tota nocte bibi,
Semper lepidus, ſemper lætus,
Inter hilares vixi cœtus,
Queis iurando ſum manſurus,
Donec Barnabe *rediturus.*

In

In
Bacci thyrſum & *Barnab.* naſum
Epigramma,
aliàs
Naſutum Dilemma.

Hadera læta bono non eſt ſuſpenſa falerno,
Thyrſus enim Bacci, Barnabe *naſus erit.*
Non opus eſt thyrſo, nō fronde virente cupreſſi,
Si non thyrſus erit, Barnabe *naſus olet.*

Corol-

Corollarium.

NOn thyrſus, thyaſus; cyathus tibi thyrſus & vrſus,
Thyrſus quo redoles, vrſus vt intus oles.

Barnabæ
ITINERARIUM.

PARS SECUNDA.

Fœcundi Calices quem non fecere diſertum?

Itineris Borealis Pars II.

MYRTIL.

F*auſtè* (Fauſtule) *redijſti*,
Narra (*precor*) *quò veniſti*,
Villas, vicos viſitaſti,
Cœtus, ſitus peragraſti,
Certè ſcis ab Aquilone
Multum mali, parum boni.

 FAVS-

FAVSTVL.

ILle ego ſum qui quondam,
Crines, mores, veſtes nondum
Sunt mutatæ, nam receßi
Calceamentis queis diſceßi,
Neque pectine vſus fui,
Sic me meis *iuuat frui.*

Sed

Pars II.

Sed arrectis auribus audi,
Quid dilexi, quicquid odi,
Pontes, fontes, montes, valles,
Caulas, cellas, colles, calles,
Vias, villas, vicos, vices,
Caſtas, cautas meretrices.

Dicam (quod mirandum) verum,
Non pauperior ſum quàm eram,
Vno nec quadrante ditior,
Lautior, lætior, nec fœlicior,
Mollior, melior, potior, peior,
Minùs ſanus, magis æger.

Pars II.

Ego enim mundum totum
Tanti eſſe quanti potum
Semper duxi: mori mallem
Nobilem quàm vitare allam:
“ *Sobrius ſimilis apparet agno,*
“ *Ebrius* Alexandro Magno.

Leuiore

Itineris Borealis

Leuiore nam mæandro
Capite capto, ſum Lyſandro
Multò fortior, & illæſum
Puto me capturum RHESVM;
Sed ne tibi grauior eſſem,
Nunc deſcendam ad progreſſum.

Primò

Pars II.

Primò occurrit peragranti
Oppidum Iohannis Ganti,
Sedes nota & vetuſta,
Mendicantibus onuſta,
Ianitorem *habens qualem*
Mundus vix oſtendet talem.

Veni

Itineris Borealis

Veni Aſhton, *vbi vinum,*
Militem, & Heröinam,
Clarum, charum, & formoſam,
Damam, Domum ſpecioſam
Vidi, merſi mero muſam,
Donec pes amiſit vſum.

Veni

Pars II.

Veni Gareſtang, *vbi malè*
Intrans forum Beſtiale,
Fortè vacillando vico
Huc & illuc cum amico,
In Iuuencæ dorſum rui,
Cuius cornu læſus fui.

Veni

Itineris Borealis

Veni Preſton, *ductus eram*
Ad bacchantem Baniſterum,
Ac ſi vna ſtirpe nati,
Fratres fuimus iurati;
Septem dies ibi manſi,
Multum bibi, nunquam pranſi.

Veni

Pars II.

Veni Euxſton, *vbi hoſpes*
Succi plena, corpore ſoſpes,
Crine ſparſo, vultu blando,
At halitu (proh) nefando,
Quâ relictâ cum ancillis,
Me ad lectum duxit Phillis.

Veni

Itineris Borealis

Veni Wiggin *prope cœnam,*
Ad hoſpitulam obſcœnam;
Votis meis ſit ſecunda,
Ebria fuit & iocunda;
Sparſit anus *intellectum,*
Me relicto minxit lectum.

Veni

Pars II.

Veni Newton in Salictis,
Vbi ludens chartis pictis
Cum puella ſpecioſa,
Cuius nomen erat Rosa,
Centi-pede prouocaui
Ad amandum quam amaui.

Itineris Borealis

Veni Warrington, *profluentes*
Riuos ripas tranſeuntes
Spectans, multo ſatius ratus
Mergi terris quàm in aquis,
Vixi lautè, bibi lætè,
Donec aquas ſignant metæ.

Veni

Pars II.

Veni Budworth *vſq;* Gallum,
Vbi bibi fortem allam,
Sed ebrietate captus,
Ire lectum ſum coactus;
Mihi mirus affuit ſtatus,
A duobus ſum portatus.

Sed amore captus grandi
Viſitandi Thomam Gandi,
Holmi *petij* Sacellum,
Vbi coniugem & puellam
Vidi pulchras, licet ſerò
Has neglexi, merſus mero.

Pars II.

Hinc ad Tauka Hill *peruentum,*
Collem valde lutulentum,
Faber mihi bene notus
Mecum bibit donec potus,
Quo relicto, CYTHERA *ſponte*
Cornua fixit LEMNIA *fronte.*

Itineris Borealis

Nouo-Caſtro ſubter Linum,
Mulſum propinaui vinum ;
Nullus ibi fit ſceleſtus,
Vox clamantis in Suggeſtis ;
Portas caſtitatis frangunt,
Quas extincta luce tangunt.

Veni

Pars II.

Veni Stone *ad* Campanam;
Vidi Deliam *non* Dianam;
Hic ſuſpectam habens vitam
Paſtor gregis, Ieſuitam
Me cenſebat, ſed incertas
Nil inuenit præter chartas.

Itineris Borealis

Haywood *properans malignam,*
Nocte præparat aprugnam
Mihi Hoſpes; ſed quid reſtat?
Calices haurire præſtat:
Nullum Baccho gratius libum,
Quàm mutare potu cibum.

Veni

Pars II.

Veni Ridgelay, *vbi Faber,*
Cui liquor Summus labor,
Mecum bibit; Nocte data
Mihi matula perforata,
Vaſis crimine detecto,
Fit oceanus in lecto.

Veni

Itineris Borealis

Veni Bruarton, CLAVDI *domum,*
Vbi querulum audiens ſonum,
Coniugem virum verberantem,
Et vicinum equitantem;
Quo peracto, frontem limi
Spuma byne inſtar vini.

Inde

Pars II.

Inde Lichfield *properabam,*
Vbi quendam inuitabam
Perobſcœnum opibus plenum,
Ad ſumendum mecum cœnam;
Hauſto vino, acta cœna,
Soluit Diuitis crumena.

Veni

Itineris Borealis

Veni Coleſyll, *ad macellum,*
Vbi in ceruiſiam cellam
Fortè ruens, cella ſordet,
Vxor mulcet, vrſa mordet ;
Sed vt Lanius fecit focum
Lectum, dereliqui locum.

Veni

Pars II.

Veni Meredin, *Meri-die,*
Vbi longæ feſſus viæ,
Hoſpitem ingenu cepi,
Et vlteriùs furtìm repi;
Cum qua propinando manſi,
Donec ſponſam ſponſum ſenſi.

Itineris Borealis

Veni Couentre, *vbi dicunt*
Quod cæruleum filum *texunt*,
Ego autem hoc ignoro,
Nullum enim empſi foro,
Nec diſcerni iuxta morem,
Lignum, lucem, nec colorem.

Veni

Pars II.

Veni Dunchurch *per latrones*
Ad lurcones & lenones,
Nullum tamen timui horum,
Nec latronem, nec liquorem;
Etſi Diues metu ſatur,
Cantet vacuus viator.

Mane

Itineris Borealis

Manè Daintre *vt veniſſem,*
Corculum quod reliquiſſem,
Auidè quærens per muſæum,
Deſponſatam eſſe eam
Intellexi, qua audita,
Vale (dixi) Proſelyta.

Veni

Pars II.

Veni Wedon, *vbi varij*
Omnis gentis Tabellarij
Conueniſſent, donec mundus
Currit cerebro rotundus:
" *Soluite ſodales læti,*
" *Plus reliqui quàm accepi.*

C *Veni*

Itineris Borealis

Veni Toſſeter *die Martis,*
Vbi Baccalaureum artis
Bacchanalia celebrantem
Vt inueni tam conſtantem,
Feci me conſortem feſti
Tota nocte per honeſti.

Veni

Pars II.

Veni Stratford, *vbi* Grenum
Procis procam, Veneris venam,
Nulla tamen forma iugis,
* *Verdor oris perit rugis;*
Flos vt viret ſemel aret;
Forma ſpreta procis caret.

Itineris Borealis

Tenens curſum & decorum
Brickhill, *vbi* IVNIOREM
Veni, vidi, propter mentem
Vnum octo ſapientum;
Sonat vox vt Philomela,
Ardet naſus vt candela.

Hocklay.

Pars II.

Hocklayhole *vt acceſsiſſem,*
Cellam Scyllam incidiſſem,
Antro ſimilem Inferni,
Aut latibulo Lauernæ;
Ibi diu propinando,
Sæuior eram quàm Orlando.

Itineris Borealis

Veni Dunſtable, *vbi mures*
Intus reptant, extus fures,
Sed vacandum omni metu
Furum temulento cœtu,
Pars ingenij manſit nulla
Quam non tenuit ampulla.

Illinc

Pars II.

Illinc ſtomacho inani
Petij oppidum Albani,
Vbi tantum fecit vinum,
Dirigentem ad Londinum
Manum *manu cepi mea,*
Ac ſi ſocia eſſet ea.

Itineris Borealis

Vani Barnet *ſigno* Burſæ,
Vbi conueniſſent vrſi,
Propinquanti duo horum
Parùm ſtudioſi morum,
Sublig acula dente petunt,
Quo poſteriora fœtent.

Veni

Pars II.

Veni Highgate, *quo proſpexi*
Vrbem perditè quam dilexi,
Hîc Tyronibus exoſum
Hauſi cornu tortuoſum,
Eius memorans ſalutem
Cuius caput ſit cornutum.

Veni

Itineris Borealis

Veni Hollowell, pileum rubrum,
In cohortem muliebrem,
Me Adonidem *vocant omnes*
Meretrices Babylonis,
Tagunt, tingunt, molliunt, mulcent,
At egentem foris pulſant.

Veni

Pars II.

Veni Iſlington *ad* Leonem,
Vbi ſpectans Hiſtrionem
Sociatum cum choraulis,
Dolis immiſcentem ſales,
Cytharæ repſi in vaginam,
Quod præſtigijs dedit finem.

Ægrè

Itineris Borealis

Ægrè iam relicto rure,
Securem Aldermanni-Bury
Primò petij, qua exoſa
Sentina, Holburni Roſa
Me excepit, ordine tali
Appuli Griphem Veteris Bayly.

Vbi

Pars II.

Vbi experrectus lecto,
Tres Ciconias *indiès ſpecto,*
Quò victurus, donec æſtas
Rure curas tollet mœſtas;
Feſtus FAVSTVLVS *& feſtiuus,*
Calice viuidus, corpore viuus.

Ego

Itineris Borealis

Ergo etiam & Sodales
Nunc Galerum Cardinalis
Viſitantes, ubi Mineruæ
Bibimus ad Cornua Cerui,
Sed Actæon *anxius horum*,
Luce ſeparat uxorem.

Sub

Sub Sigillo *tubi* fumantis & *thyrſi* flammantis, motu MVLCIBERI naſo-flagrantis.

Τέλος, Sine *telis* non *typis*.

Officina iuncta Baccho
Iuuenilem *fert Tobacco*,
VTI LIBET, *tunc ſignata*,
Quæ impreſsio nunc mutata,
VTI FIET, *nota certa*
Qua delineatur charta.